DE MONARCHIA SECVLARI CHRISTIANA:

DEQVE SACRO EIVS CVM ECCLESIASTICA MONARCHIA FOEDERE, BENEDICTA Chriſtianæ Charitatis vnione ſanctificato.

Authore MICHAELE MAVCLERO Pariſino, Doctore Sorbonico.

TOMVS SECVNDVS.

LVTETIAE PARISIORVM.

Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY, viâ Iacobæâ, ſub Ciconiis.

M. DC. XXII.

CVM PRIVILEGIO REGIS CHRISTIANISS.

DE MONARCHIA SECVLARI CHRISTIANA.

PARS TERTIA OCTO DISTINCTA LIBRIS.

LIBER PRIMVS.

DE MONARCHIA SECVLARI Chriſtiana in genere, incipiente à Conſtantino magno, tractat. Deinde mirabilia narrat, quæ ſub principis illius imperio Deus pro ſuæ religionis exaltatione, eccleſiæque triumpho, poſt tot diras filiorum ſuorum trucidationes martyriaque glorioſa fecit. Poſtremo Imperatorum aliorumque principum Chriſtianorum principatum diuturnum atque felicem in fide, pietate, charitateque Chriſtiana fundatum eſſe demonſtrat.

CAPVT PRIMVM.

Auctor ſuam ſuſcepti de Monarchia ſeculari Chriſtiana operis, rationem intentionemque declarat: qua præmiſſa quomodo hæc Monarchia à Deo procedere dicatur, breuiter exponit.

AD FASTIGIVM perductis extremum, finemque ſuum duabus operis inſtitutique noſtri per Dei gratiam miſericordiamque partibus, tertiam nunc quæ de Monarchia ſeculari Chriſtiana eſt, Chriſti Domini tecti miſerationibus aggredi molimur. De qua tractare ſic tanquam Theologus inſtituo: vt non alius præcipuè laborum meorum finis quàm ſalus principum, populorumque fidelium ſempiterna quæratur. Contra impios illos

Breuis dicendorum in hac 3. parte narratio.

A Monarchomachos, hæreticos, ſchiſmaticos, Machiauelistas, cæteroſque eiuſdem fœditatis & improbitatis libertinos, in nullius religionis verba iurantes: qui ſuis impiis ſalutem principum populorumque catholicorum dogmatibus labefactare atque conuellere machinantur. De his autem principum illorum virtutibus, ad Monarchiæ ſecularis ſplendorem proſperitatemque pertinentibus diſputationem inſtituere mihi propono: non quibus populorum mundi domitores pro ambitione, furioſaque aliena rapiendi libidine pugnauerunt: ſed quibus ipſi Chriſtiani principes pro

B veritate Catholica, Chriſtique regno fœliciter, quia religioſè dimicarunt. Non quibus Cæſares, Augusti, aliique infideles Romani duces exercitus, & imperatores hoſtium ſubactorum ſanguine cruentati arces pompa geſtientes inani Capitolinas aſcenderunt: ſed quibus illi piè vincendo de cunctis Dei, Eccleſiæque ſanctæ perduellibus, de vitiis, hæreſibus, ſchiſmaticis erroribus, morum corruptionibus, & aliis animarum monſtris, Chriſtianæ reipub. peſtibus triumphan-